Loeaechii Andreae, Scoti: Classes quinque Anagrammatismorum. Crac. 1609.

CLASSES QVINQVE ANAGRAMMATISMORVM:

QVIBVS NOMINA LECTISSIMA QVORVNDAM,

Vt Genere & Laude Illustrium, sic inter viros sui Ordinis de Literis & Humanitate Maximè Meritorum,

ADSCITA INTERPRETATIONE DONATA SPERATIS MOECENATIBVS

Ab Andrea Lœæchio Scoto,

HONORIS ERGO, EXHIBENTVR.

CRACOVIÆ,
In Officina Ioannis Szeligæ: Anno Domini
1609.

CLASSES QVINQVE ANAGRAMMATISMORVM.

Quarũ primâ Donãtur Nominũ Encomiis ILLVSTRISSIMI ET R. DOMINI.

ALBERTVS BARANOVIVS, D. G. Archiep. Gnes. Leg. Natus R. P. Primas, & primus Princ.

LAVRENTIVS GEMBITIVS, Epis. Culmens: Reg. Pol. suprem⁹ Cancellari⁹.

CLASSE SECVNDA ILLVSTRISS. DD.

NICOLAVS ZEBRIDOVIVS, Pal. & Cap. Generalis Crac. Sniatinen. & Stenzicen.

GEORGIVS MNISSHEK, Pal. Sando. Cap. Sãb.

IACOBVS PRÆTFICIVS, Pal. Podoliæ, Cap. Trembowliæ.

IOANNES POTOCIVS, Pal. Bratislau, Terrarum Podoliæ Præfectus.

CLASSE TERTIA PERILLVSTRES DD.

ALEXANDER ZASLAVIVS, Dux de Ostrorog, Castel. Wolhiniæ.

NICOLAVS OLESZNICIVS, Castel. Malog:

SEBASTIANVS LVBOMIRIVS, Cast. Woin.

CLASSE QVARTA PERILLVSTRES DD.

FELIX CRISCIVS, Regni Pol. Vicecancellari⁹.

NICOLAVS WOLSCIVS, Curiæ Mar. Cap. Krzepiciensis & Rabstinensis.

IOANNES FIRLEIVS, R. P. Thesaurarius.

BALTHASAR STANISLAWSCIVS Curiæ Thesaurarius.

CLASSE QVINTA IVVENTVS LECTISSIMA: ILLVSTRES DD.

GEORGIVS ET CHRISTOPHOR⁹ DVCES de Zbarasz &c.

IOANNES ZEBRIDOVIVS, Palalatinid. Crac. Cap. Lanscoronensis.

NICOLAVS	MNISSHEC, Palatinides Sandomirienses.
SIGISMVNDVS	
FRANCISCVS	

NICOLAVS HERBVRT, Palatinid. Russiæ.

STANISLAVS LVBOMIRIVS, Castellanides Woynicen. Cap. Sandecen.

IOACHIM⁹ LVBOMIRI⁹ Castel. Woynicen.

NICOLA⁹ ET ALEXAND. COMOROVII, Comites Liptouiæ & Arauiæ DD. in Zywiec.

IOANNES BELZECIVS, Aulicus Regius.

AVCTOR SVÆ MVSÆ,
Quid Supplex Speratis Mœcenatibus dicat voueatque, iniungit.

HEroas, mea Musa, petes, meliore metallo
Queîs facta Altitonans Pectora & ora dedit.
Musa, petes Flores Iuuenum, quorum omnis & omnis
Patribus Herois æmula corda gerit.
Docti omnes, meritique omnes decerpere fructus,
Aonii montis quos iuga celsa ferunt.
Admittêre. Loqui admissam nisi forté vetârint,
Omnes affare his, tincta pudore, sonis:
Vos canit Externus, Vatumque è plebe Poeta,
Nomina perpetuo ô digna Marone vehi.
Passa illum, nostrosque illo sterilescere cantus,
Ingenii quod erat, dispulit Aula fide
Infidâ. Venæ hinc, quo vos meditata Camœna
Ornare, exaruit, non aliunde, viror.
Cæcam aiunt Sortem: vidit, dum damna struebat,
Ordine ad Inuidiam sed præeunte Nouo.
Alpha Virûm & Iuuenum, quibus (adde) Polonia ge
Ordinis Inuidiâ Mens hebetata Noui, (stit,
Indiga opis vestræ, & rerũ omniũ egena, remota
Vix senio (canos præuidet ante diem)
Ad vos se recipit, digni ô grauiore cothurno,
Ceu vobis faciles speret adesse manus.
Vitam inopem date quo, ne in lucem prodeat, ornet:
Compede sed laxâ cæca vidensq; premat.
Nunquam ita conatu posit Nouus Ordo nocere,
Vobis, Fortunæ vel minuisse gradum,
Sic vestrâ Liuor Virtute repulsus, in Orbe
Subtractos telis vos canat ipse suis.

CLASSIS PRIMA.

ALBERTVS BARANOVIVS
Per Anagramma.
LABOR TVVS SANE IVBAR.

Prosphonema Fidei, Spei, Charitatis,
Ad Eundem.

DIa Fides, summo Dilectio nata Tonante,
Et Spes, in nullis cedere docta malis,
Sic de te affirmant: SANE tam Nomine quàm Actu
Tuque LABORq; TVVS, Sol quod in axe, IVBAR.
Neuter enim, neuter vel opacis mergitur vmbris,
In mediis tenebris Luminis auctus ope.

ALBERTVS BARANOVIVS
ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS.

EN, HONOR GENTIS. I SALVVS
PACI, REBVS, SPEBVS, ARCANIS.
Patriæ Applausus,
Et Votum pro Eodem datum.

GENTIS HONOR, tribuens Paci incremẽta: Sacerdos,
Maxima curarum, EN, cui pia Sacra Deûm;

 Audin

Audin vt applausu Patria intonet omnis oborto?
Vt votis resonent tecta remota Iouis?
Arcanis Rebus longos & Spebus in annos
I Salvus Præsul: Sidera tardus adi!
Tu nobis poteris, poterisq; adeò orbe carere;
Nos, sine te, metui turba relicta sumus.
Iam satis, & nimiùm Superi inuidêre, vetârunt
Magnorum auxiliis posse fruique Patrum.
An quoque te inuideant? Benè perge diuq; Me
Sacrati in testes nosq; laboris habe. (reri!
Viue diu, Excellens Factis, Animisque Serenus!
Contingant serò funere damna tuo.

LAVRENTIVS GEMBITIVS. REGNI POLONIAE CANCELLARIVS.

SIGILLVM TIBI LARGITVR AVE, AVE. NONNE CENSORI PLACES?

Prosphonema Sigilli Maioris
Ad Eundem, Cancellarium Dignissimè Factum.

Heus, Largitvr Ave tibi, ave repetitq; Sigillvm:
Censori (Altitonans censuit ipse) PLAces.
Adiunxit sua vota Polus, Diûumq; Senatus.
Dignum nonne, Deis quod placuisse potest?
LAV-

LAVRENTIVS GEMBITIVS, EPISCOPVS CVLMENSIS.

ET PECTVS E MVSIS PLENVM GRAVIBVS CONSILIIS,

Ad Eundem,
De Maxima Dignitatis suæ parte à Musis Auctricibus profectâ.

Consiliis gravibus Plenvm tibi Pectvs, Et ora,
Laurenti, E mvsis quis neget esse nouem?
Fudissent nisi Pegaseum tua in ora liquorem:
Hoc nisi lustrâsset docta Minerua caput,
Quâ prodes, sterili iacuisset Gloria campo,
Nec Legum Patriæ nunc tuerere decus.
Nunc Polus haud Aras, de te, certare videret
Cum Sceptro: Inuidiæ hîc si tamen vlla seges.
Affecere Aræ, Sceptra affecere Fauore:
Strauere huc Musæ, strauit Apollo viam.
Polliciti Maiora etiam. ô sudore parare
Perge modò, & veræ tendere Laudis iter.

CLASSIS SECVNDA.

NICOLAVS SSEBRIDOVIVS, PALATINVS CRACOVIENSIS.

Per Anagramma.

VIS, VERBA, POLONIS LAVDIS CONSCIIS IVSTA CENSVRA.

De Eodem.

APOLLINIS IVDICIVM.

De Te scripturo (tua me Benefacta mouebant)
Hac Calami arrepti ter cecidere manu.
Scripturũ vt, Spes magna soli, Spes omniũ & õnes
In te non frustra vertis, & ora hominum,
Extemplò Grauitas rapuit tua, rursus ab ista
Consilium duxit, flexit vtrinque Fides.
Ergò dicebam cœptis sub versibus hærens :
Deficio ; validam porrige, Apollo, manum.
Ille mihi : Frustra molimine tangis Olympum .
(Dixit, & in vultu signa vetantis erant)
Impar tollis onus, modicis nec viribus æquum ;
Hic plus Semideo est : Hunc rudis ore canes?
Ipse ego, dũ volui, quamuis sim Carminis Auctor,
Metiri, &, si non carmine, mente sequi,
Virtutum ingenti fessus sub mole cadebam :
Fingere nec potui ; fingere vera vetant.
Si cui Fastus abest, si cui Mens Fraudis inanis,
Si cui Sancta vacat Suspicione Fides,
Orbis, de paucis Vnum iactato ; relictum
Liuori esto tamen, quod reprehendat, opus.
In Patriam Obsequiis Hic nulli cedit: ita vnus
Officij Meritis omnibus vsque præit.

Quis-

Serua eadem multis de Illo sic asserit : Vltro
Virtutem Huius ego Grata fatebor Heram.
Quisquis in hunc loqueris, me me petis, vltor iniq;
In mea nãq; agit Hic cõmoda , quicquid agit.
Nemo meis vnquam grauior fuit hostibus hostis:
Nemo vnquam visus Fas temerare minùs.
Quicquid agat, quicquid sonet, ẽ CENSVRA POLONIS,
Dũ VERBA accipiũt, quæ probat ipsa Themis.
CONSCIVS est LAVDIS quicunq; , & Nomen adorat :
IVSTA instar Normæ ẽ cuiq; imitanda manus.
Cætera hîc, esto, vetet laudata modestia mentis,
Cætera at Arctophylax & Cynosura scient.
Herois (claudo) præsens Constantia cœptis
Signa dedit nunquam tam manifesta sui.
Fucus, Turpe tegens Pulchri sub imagine, verte,
Verte aliò linguam : hîc nil tua verba valent.
Quem Minuisse paras, nolens Augebis Honorem :
Lux hæc sub radijs Nubila crassa premit.

GEORGIVS MNISSHEC. PALATINVS SANDOMIRIENSIS.
MVNDI AMARVS HONOR. ISTI SPES GIGNIS. ALIS NECES.

Dum procul à Patria premit inclementa fati,
Innocuumq; quatit Sors malefida caput,

Non ſecùs ac quondã defleuit coniugẽ ad vndas
Strymonias Orpheûs, terra Polona tibi,
Et Natæ adgemuit; Natæ & Tibi duxit obortas
Sæpe illa, heu, lachrymas, addidit hosq; ſonos;
MVNDI HONOR euentu dicendus AMARVS: in orbe
Hoc etenim lætum nil ſinis eſſe diu.
SPES ISTI GIGNIS, natas ſed fulmine turbas,
Mox ALIS (infide, hic mos tibi quippe) NECES.
Deligit externos tellus quæcunque Hymenæos,
Neſcia, ô, exitium diligit ipſa ſuum.
Externus mihi factus Hymen vix cõmodꝰ vnquã,
Sed grauis, atque minax, & truculentus erat.
Æacidem Priamus Generum dum legit, ob ipſum
Exsilium Troiæ vidit adeſſe ſuæ.
Moſcũ ego dum dignor noſtro de ſanguine Nym(phâ,
Quæ partẽ Imperij per Diadema gerat,
Dedecus affecto nullo delebile ſeclo,
Et propria infamem duco per ora notam.
Cuique meam liceat culpam exprobrare: fatebor
Culpam animi: dicam, Prodiga Amoris eram.
Cuique etiam liceat mihi ſuccenſere: fatebor
Felicem rarò, qui peregrinus Amor.
Munere ſub Paphio ſerò conſpectus es hamus,
In carptis ingens floribus hydra lates.

Scilicet

Scilicet auſpiciis primùm dulciſsima lætis,
Pòſt in triſtitiam prodita regna iacit.
Cur minꝰ at metuit modò vos, mea robora, Moſc.
Quàm Stephanus quando vixit in orbe meus?
Ille Animis præîit, ille idem fręna Gradiui
Arrripuit, pręnſas rexit & ipſe vices.
Neue foret noſtro tantùm Diademate Clarus,
Illius adiecta eſt portio quanta manu
Telluris! faciles quæ nunc mihi denegat aures;
Ceu ſubigat Ciues ad ſua vota meos.
Sic Patriam abſenti tibi finge (haud fallo) locutam
Nunc animat Reducem talibus illa modis:
Sors malefida tuo vultus oſtendit amicos
Et Genero & Natæ: at luſit vtrumque licèt,
Tete exploranti Cælo ſi credis, Honori
Creuere Aduerſis ſemina certa tuo.
Plùs meruiſse fuit Generum per iura Triumphi,
Fortunæ ablato quàm caruiſſe dolis.
Fama quidem ſparſi ſeruat veſtigia luctûs,
Demetrius rebus deſiit eſse ſuper.
Immanis Patriæ ſæuiſsimus abſtulit Enſis,
Atque Ignis, non iam quò ferus iret habens.
Siue tamen ſoſpes, mortemq; euaſit acerbã,
Seu quæ illum peperit, funere terra premit,

Dedecus

Dedecus ob nostrum, mihi stat tentare labores:
Adferat, esto omnes Sors furiosa minas.
Mox discet Moscus quàm non sibi Numen amicũ
Spiret, vt iratum senserit esse Polum.
Ne patiar, voluam diros Ixionis orbes,
Isthmiacis trabibus subiiciamque sinus.
Esto, iterum atque iterum redeat Fortuna retrorsũ,
Quo mea resque fuit, desinat esse loco:
At Sortes, tua queîs tumuerunt Sceptra, Polonis
(Experiere) Aquilis se dare, Mosce, volent.
Mitte Heros curas; lachrymas subducat acerbas
Tecum facque nouis nupta relicta thoris.
Coniugis Exuuiæ (satis ô doluistis vterque)
Quottidie has prohibent, quottidieque vident.
Accipis ô nostras seu tu, surda vmbra, querelas,
Seu non; hunc sensûs morte negante modũ,
Ausa immane nefas tellus tibi quæ dedit ortum,
Purgat adhuc proprio sanguine triste nefas.
Optauit quoties, externo pressa Gradiuo,
Ereptam lucem restituisse tibi!
Non alium viuo queîs te sperare licebat,
Externos Dominos iam didicere pati;
Implorantque etiã. Tua Mars Mors vlta flagello est:
Funera tota vnum gens tua vulnus habet.

Quoti

Quottidie vasto Mars & Mors crescit hiatu,
Vltricique furit dux Metanœa manu.
Interea ante oculos tristis versaris imago,
Et viuum incutiunt mortua membra metum.
Occurrit cinis, & dispersa fauilla per auras,
Si quid & horrendis tetrius esse solet.
At quòd honoratis, Demetri, obieceris ausis
Corpus, inornato fine perisse nihil.
Heu Socer, optabas potiùs per vulnera mortem,
Luctificæ Sortis quàm superesse probris.
Cælo aliter visum: Genero qui Sceptra Paterni
Imperii dederant Dij, tribuere tibi,
Tanti ideo Nomen Soceri, vt Dea passibus errans
Ambiguis quateret fortia corda manu.
Te, gens, quæ sacrum temerâsti Numinis alti
Arbitrium, incerto tempora certa manet
Vltio. Quã frustra Dominum tu ferre negabis,
Quemcunq; in Dominũ Numina læsa dabunt.

IACOBVS PRAETFICIVS,
CVI SPES, OB FACTA VIRI;
De Magno Maiorum Nomine Maximis Clarissimisque
Factis Eius propagato.

MAgnus erat Pater, & Magnis bene cognitus Ausis:
Magnorũ idcirco Cura metusq; Ducũ.

Ne ma

Ne magnæ Famæ morerentur semina, Auitis
Spebus in Hoc Nato Sors superesse dedit.
Cvi Spes factæ, Ob Facta Viri? Assentatio cede:
Non sat Totarum Patria tota Capax.
Partem habet Ille sibi, partē Mars sparsit in Orbe:
At penes est Patrios portio quanta focos!
Tempus erit, quando vnius stupefacta Vetustas,
Totius voluet Gesta canetque Domûs.

IOHANES POTOCIVS.

INVICTO HONOS A SPE.

Augurium Martis & Palladis de Eodem, non sine Laude, in Christiani nominis hostem pugnante.

Mars toties, Pallasq; tuis vicina periclis
Agnouere Animos per tua Facta suos.
Obtento lætis Mauors Pallasque Decore,
Non vano Augurio sic cecinere Tibi.
Crescet Honos a Spe, Invicto crescentq; Triūphi
Robore. Nil magno pectore Achille minor,
Venit Honos tibi. Nec tribuit tua Patria tantùm
Virtuti multùm, Regna inimica tuæ
Concesere etiam, venerata & in hoste Gradiuum,
Ceu rata municipem te statuisse suum.

CLAS

CLASSIS TERTIA.

ALEXANDER SSASLAVIVS

Per Anagramma.

SERENA LVX, SALVA ADSIS.

Apostrophe ad Antiquissimam Bellicosissimamque Ducum Zaslauiorum Prosapiam.

O Genus Heroum, Domus ô cōtermina Marti,
Quid breuibus de te commemorabo modis?
Si dicam Proauos, reuocant Atauique Abauique.
Gesta foris celebrem? sunt potiora domi.
Certum igitur tacuisse mihi: canat ipse Gradiuus
Incerto nnnquam te titubasse gradu.
Lvx Adsis Generosa Domûs, Generique Serena,
Salva in Alexandro Secula longa vide!
Ille habeat Natos, habeant Natique nepotes!
Qui longâ augmentent Posteritate Lares.

NICOLAVS OLESSNICIVS.

EN, ILLOS CASVS, O, VINCIS.
EN SIC, O, INCOLIS SALVVS.

Constantiæ Eiusdem Patriæ relata Gratitudo.

Pectora, Olesnici, tua sunt confessa Polonum
Sanguinis Auctorem; quippe Polonus erat.
Codrus in hostiles Patriæ causâ impiger enses
Fertur: tu Gentis motus Amore tuæ,

Obii

Obijcis innumeris vitæque viæque periclis
Charam Animam, certus non titubare fide.
In te vel Siculis veniat si flamma caminis,
Cùm fera turbatus concutit arma Faber:
Scylla tuos captetq; artus, vitæq; minetur,
Raptet & in tumidas cæca Charybdis aquas,
Nil Patriæ auertunt: perstas inuictus agendo;
Vt Socios Salues igneus ardor adest.
En, Illos Casvs, O, vix sperâsset Vlysses
Vincere quos, Vincis. Causa parata tuæ
Non parua hinc Laudi. Nã quã tu Gentis Amator
Es Patriæ, Nomen tam Colit illa Tuum.
Audin vt acclament campiq; Laresq; Poloni?
Attigit & quem non Nominis aura locum?
Patriæ Olesnicius Saluus iam sistitur oris:
Patriæ Olesnicius barbaro ab axe Redit.
Quanta olim Bruti consedit pectore robur,
Pro Patria ferret cùm pia tela suâ,
Tantus Olesnicii sese intulit ardor in artus,
Dum Fratrum à Nemesis colla furore trahit.
Non Libertatem fandi minitata tyrannis
Fregit, non feritas, non metus ipse Necis.
Mens inuicta malis, nullis cessura periclis,
Constitit. & visa est pondere firma suo.
Credite

Credibile interea cepisse obliuia Charæ
Coniugis, & solitum dicere, Chara Vale.
Patriæ Amor cogit Fratrum sentire dolores,
Communi donec Sors satiata morâ,
Hîc tristes cesset nobis producere luces,
Ad-q; Lares ventus vela secundus agat.
Incolis, En Salvvs, sedes per vota petitas:
Hospes &, O, Laribus Sic bene gratus ades.
Nec tibi fatorum series inopina malorum,
Nec tibi dextræ, aliis quæ nocuere, nocent.
Audiat vt meritò Stephanus Regaliter! Illo
Viuo etenim poterant tale timere nihil.

SEBASTIANVS LVBOMIRIVS.

AVRVM, SIS NOBILIBVS. AT ES.

Ad Eundem Bene Opulentum,
A Fastu tamen, opum comite, longè remotum.

Nobilibvs sis, avrvm! (at es) anxia mens tamen absis,
Vel quæ auri mores ingeniũq; sapis.
Nescio an impetrem: scio at vnum; culta metalla
Fulgore efficiunt turgida corda suo.
Heros (non vanis diuulgat fama susurris)
Pectus ab hoc vitio prorsus inane geris.

Vix

Vix plus cuiquã auri, nemo minùs inde superbit:
Res vna at laudi est adiicienda tuæ;
Magnũ opus haud modicum peperisse nepotibus
Munificũ nomen linquere maius erit. (auri,

CLASSIS QVARTA.

FELIX CRISCIVS, REGNI POLONIAE VICECANCELLARIVS.

Per Anagramma.

NIL SIGILLO FELICIOR, EX VENA, AC CVRA, CENSERI CVPIS.

Posthuma Censura Magni Stan. Minscii, Proximi Prædecessoris Eiusdem, De Eius Dignitate, pariter & officio illi collato.

MInscius Elysiis rediens de vallibus (hunc tu
Tutelæ in testem candidioris habes)
Viderat vt Themidem per te mox sede locandã
Speratâ, affatus taliter astra petit:
CENSERI CVRA, AC VENA FELICIOR altâ
Dum CVPIS, EX geminis, tertia causa venit;
Cerâ Aquila niueâ roseoque superba colore:
Ipsa licèt fragilis robore firma ligans.
Munia NIL decorant (quia te inferiora) SIGILLO:
Pro radiis referunt Lumina quippe datis.

Porrò etiam maiora manent meliora Merentem;
Interea spebus suesce fauere tuis.

NICOLAVS WOLSCIVS, DE PODHAIEC, CVRIAE MARESCHALCVS, ETC.

AVE CAVSA, DIC SAECVLO: HIC DE POLONIS MERITVS, HAC LVCE CARVS.

Mores Eiusdem,
Veterem Gentis Candorem referentes.

HEroum Decus egregium, Candoris ocelle,
Qui merito ad Meritũ tendis Honore Gradũ;
Crede mihi, si quæ venit Ambitione voluptas,
Ex spretâ fructus non minor esse potest.
Quam quisquam ingenuè dixit fecitq; , sepulchro
Tam parto quondam Nomine surget Honos.
Candoris Prisci quæ tu non signa dedisti?
Censeat an Tibi se laude quis hacce Parem?
Non huic Ambitio Menti, non Censibus hærent
Alterius damno lucra parata tuis.
Cætera digna quidem Proauito sanguine, at vnũ
(Non fallor) supra pectora Auita tibi:
Dum cupis Externâ, Patriâ vt de gente mereri,
Me patere in Dotes adnumerare tuas,

Humanos Mores; quêis tu superaueris omnes,
Nî forsan possit quis superare Iouem.
Cui tu vnquam durus? quem non dignatus es ore?
Fecisti, dici quæ, fieriue, decet.
Quot vos (vos Eius) Benefacta parâstis Amicos!
Deceptus nemo credulitate boni.
CAVSA Fauoris, AVE! MERITVS (DIC SAECVLO, & ânis,
Quêis circum terras lumina Apollo vehet)
HIC Bene DE Populis (vera an reticenda?) POLONIS;
Non cuiquam ex vlla parte, quod obsit, agens.
Perpauci tecum Ciues hac lege coibunt;
Vt Ciuis nemo non sibi nomen auet.
HAC LVCE ES CARVS. Nihil obscurare Nitorem
Hunc poterit Liuor, cum Phlegetonte licèt
Conspirent. Sensus agnosce, Polone, Polonos:
Dignius haud quidquam Patria tota videt.
In tenebras abeat Fastus damnatus Auerni;
Ausit nec Clarum contemerare diem.
Moribus atq; Animo Bonus es; sec9 alter. At intrâ
Si mala mens, Valeant quæ speciosa foris.

IOANNES FIRLEIVS.

AN FIS, SINE LIVORE?

Eidem

EIDEM INVIDIAE VICTORI.

AN SINE LIVORE, ô, veteri Fis primus Honore?
Et Genus & Virtus quem peperere. Tace:
Non equidem. Sed & Inuidiam vicisse, paratam
Ad Laudem, cense, non leue pondus erit.

BALTHASAR STANISLAWSCIVS.

LAVS, STAS VNA CVRA STABILIS.

Ad Optimam Famam Eidem Curarum Maximam.

QVæmodo nô hominû præbent spectacula curæ!
Quarum non paucos pœnituisse solet.
LAVS, STAS HUIC STABILIS: CVRA VNA scilicet instat,
In Mores ne quis dicere iure queat.

CLASSIS QVINTA.

GEORGIVS ET CHRISTOPHORVS,
DVCES DE SSBARASS.

AH SORS, TE DA HOC GRESSV
PROGRESSIS DVCIBVS.

De Effigiebus Eorundem,
Pro Musæo Illustris & Rdi admodûm D. Eust. Wolouicii
Abbatis L. M, D. L. Referendarii, â Ioanne Criswalce
Gallo, nulli Pictorum secundo, prorsus ad viuum depictis.

ZBarasiûm Effigies istæ sunt vmbra figuræ:
Pingere Zbarasios si bene, Galle, cupis,

Pinge

Pinge viro similes, qui mores vidit, & Vrbes;
Quo gerit æternum terra Latina decus.
Pinge duos, acris superent qui vertice multa
Millia (sed pauci, si numerentur, erunt)
Ingenij. Amborum sit toto in corpore Virtus,
Amborumque habeant corpora mentis opes.
Illius atque Huius referatur Imagine Pallas;
Ora habeant Charites, Fronte locetur Honos.
Nec mihi sint stantes; Præeant certamine multos:
Sit visu multis Inuidiosus Agon.
Effigies subtus scribatur: Sanguine Auorum
Progressis, pauci quo meruere Ducum,
Hoc gressv Dvcibvs, Te da Sors, Ah procul absit
Quisquis Amicitiæ futile nomen alit.

IOANNES SSEBRIDOVIVS, PALATINIDES CRACOVIENSIS CAPITANEVS LANSCORONENSIS.

SANE ES IVVENIS TE SACROSANCTIS SENSIBVS IOVI, PALLADI, O, NON PARIDI CONSECRANS.

Specimen Animi ad omnia Honesta nati, In Eodem etiamnum puero Notatum.

Non mentite Atauos Iuuenis, Patre atq; futur[o]
Nil Magno (Liuor comprimat ora) minor
Patre, in quo Heroes veteres sua corda viderent,
Et quicquid Patrium Pax, Charitesue vocant.
Vel Puero (Aspectus tantum Grauitatis habebat)
Sic quis non dixit, cui bene notus eras?
Es Sane Ivvenis, Sacrosanctis Sensibvs, ô Non
Consecrans Paridi Te, Paris ora licèt,
Palladi at os, Pectusq; Iovi. O maioribus annis
Quam cultum reddent Numina culta Virum!
Non te, Penelopes inter, discinctus amator
Nequitiam aut turpes cernet amare iocos.
Non tibi Sirenes nocituræ, aut pocula Circes;
Omne Voluptatum despiciesq; genus.
Creuisti; nec tantùm haud es mutatus ab illo,
Quem te spondebat consona Fama fore,
Vt voces etiam superaueris omnium, & omnes:
Virtuti factus concolor altus Apex
Ingenij. Hoc dum tu Sophiæ, Generose, per Artes
Excolis, & quæ sunt Indole digna facis,
In te oculos vertis, quibus est Prudentia rerum:
Docto etenim Heroum tota Corona Fauet.

AD N. MNISSCHEC, PALATINIDEM SANDOMIRIENSEM, natu Maximum, Capitaneum Sanocensem, Ex Moscouia Redeuntem.

Nec potui, nec fas mihi erat sine Nomine de te
Scribere, ô Illustris quarta Propago Patris.

Tempus erit, mea quo memoret te Musa, canatque
Quàm duro hæc fuerint pectora pressa iugo.
Quantumuis passus mala, te obliuiscere passum.
Crede mihi, Heroum est plurima dura pati.
Sume Animos: meta hîcq; viæ, meta hîcq; laborũ:
Tu Patriæ saluus, Patria salua tibi.
Quid dixi? Nec meta viæ hîc, nec meta laborum;
Scruteris Patriæ si bene sensa tuæ.
Rursus ad arma vocat (dicam repetitor) in ausos
Grande nefas Moscos Patria, ad arma vocat.
Omina nî fallant, Famę tu fana locabis;
Ambiguo interea fluctuet illa pede.

SIGISMVNDVS MNISSHEC.
NVM IS SEGNIS, DVM SCIS: DVM CINGENS SIS MVSIS.

Ad Eundem, dũ impigrè Palladi obsequitur, ad insignẽ Eruditionem per illam Euectum.

DVM Sophiam tu Scis, dũ tu, præeunte Mineruâ,
Is quocunque gradum ponere diua monet,
NVM visus SEGNIS? generosâ mente labores
Tam capis, Aonii per iuga fersque pedem.
Te te Dum CINGENS SIS MVSIS, ornat Honore
En, Pallas proprio, talibus vsa sonis;
Macte piis studiis, replete Aganippidos vndâ,
Infer cultu animi Sideribusque caput.
Impiger inceptæ calca Virtutis Arenam,
Sisque olim Laribus tu Decus omne Tuis.

FRANCISCVS MNISHEC.
NVM CRESCIS: HINC FAS!

Eidem grandior optata ætas, leuiorisque laudata Grauitas.

MIratus Senium in puero, & puerilibus annis,
Sic quis non dicit: (quàm manifestus Amor!)
NVM CRESCIS? Crescis, Patriæq; Poliq; voluptas:
Tangere te ætatem dent pia fata viri!
FAS erit HINC curæ! Ne sit vixisse pudori,
Par vsque his Curio moribus esse voles.
Corpore pene puer, plusquàm Grauitate Senili,
Augurio haud impar Dotibus esto tuis!

NICOLAVS HERBVRT.
ROBVR, ET HVNC ALIS.

Vaticinium Lucinæ,
De Eodem Nascente.

HAs auras dederat postquam Lucina tenello,
Præsaga est Patriæ talibus vsa tuæ:
Sint nati Heroum, formoso corpore Adonin
Æquare, & roseis Endymiona genis,

Qui satis esse putent: sint cæcâ Sorte superbi,
Nec quicquam affectent præter Abire Rudes.
Iste Animum maior volet excoluisse per Artes,
Pollere Ingenio, Mentem aperire sonis:
Virtutem haud nudis titulis extendere Auitam,
Ad Spes se factas addere Laudis opus.
Hvnc Et, Robvr, Alis. Sic sæpe nepotibus hæret
Mens Proauum, & Natis vis Generosa Patrū.
Dextra Animiq; aderunt pariter, cū Patria poscet
Arma, Boni frustra nec rogitabit opem.

STANISLAVS LVBOMIRIVS.
SOLVIS. NATVRA SVBLIMIS.

Ad Eundem.
Ignobili, Nobilium quorundam sollicitudine vacuum.

Nobilitas quædam est, speciosi oblita decoris,
Quæ dat Auaritiæ sordida signa suæ.
Hæc, ceu diuitiis Morti impositura propinquę,
Auget quottidie, quas cumulauit, opes.
Digna vt, post curas transactæ & tædia vitæ,
Lethæos adeat, non reditura, lacus.
Natvra Svblimis ab hac, Stanslae, recedens
Fęce hominum, Solvis suspicione mali
Ingenuos Mores. Ratione (vt cætera dicam)
Non aliâ humanus conciliatur amor.

Solue tuum Vati nomen, si vera loquutus;
Translatum Nomen sic tibi in Omen erit.

IOACHIMVS LVBOMIRIVS.
HIC VIVO ALMIS MORIBVS.

Idem de suo Animo in Virtutū & Literarū Studium.

Hic vivo, hîc vouiq; Almis Sacrare Camœnis
Lustrum, si Iuueni turba nouena fauent.
Quid dixi? & puero doctæ fauere sorores.
(Ne laus ista meo sordeat ore, precor)
Non ero de numero queîs Virtus fingitur auro:
Tempus erit, Vitiu hoc cū quoq; dente petā.
Moribvs est Animus labem vitare profanam,
Quâ sine Nobilium viuere rarus amat.

NICOLAVS ET ALEXANDER COMOROVII,
DE COMOROW, COMITES LIPTOVIAE, ET
ARAVIAE DOMINI ET HAEREDES IN ZYWIEC.
PAX REVOCO: VIDES INVIDIAE ARMA, VETA
AMICITIAE SOLE LVCE! ZELO ANIMOS NE
CTE! TIRO HONOREM DIDICI VERI VOVEO.

Reiectæ Simultates in obstantem Concordiæ Inuidiam Siue
dirempti Amoris vtrinque Redintegratio.
Vterius Fratrum loquitur.

Pax, Revoco: Sine te, scrutemur vt omnia, nullū
Quod non perturbent fata maligna, bonum.

INVIDIAE ARMA VIDES. Nostrûm ambitione laborat
Neuter: tu cense, & deteriora veta!
SOLE, O, AMICITIAE LVCE! Sine crimine vterque
Culpati: Inuidiæ Suada reperta rea.
Pectora commisit, fateor, Fortuna Parentis:
Et fuimus famæ nuper in ore duo.
Nos in nos aliquid sumus (esto) immaniùs ausi;
Mens neutro at factis facta scelesta minis.
Sidera sunt testes, & qui Pater iuit ad vmbras;
Ante oculos cuius triste cadauer adest:
Nullũ odiũ in nostros, nullum penetrauerat artus;
Alterius Liuor causa caputque mali.
Esto, mea & Fratrem gessisse in vulnera ferrum;
Noluit ille meâ cæde madere tamen.
Audito hoc, Liuor, Violati crimen Amoris,
De te censura hæc Pectore vtroque sedet.
Tu Felle Ambrosiam vitias: tu Nectari Acetum
Iniicis: haud nos, te turpia probra notant.
Terra eadem lolium gignit, segetesque salubres:
Si negat hoc, mendax vel sibi Phœbus erit.
In nobis Generisne Fidem periisse putabas?
Intrepidi alterius fata subire sumus.
Nomen Amicitiæ venis insedit in imis:
Certior ex isto tempore factus Amor.

 Aurea

Aurea Pax, adsis: Ausos nos surgere contra
Cerne tibi Dextras tendere, cerne sonos.
ZELO NECTE ANIMOS! Frater mihi Nisus, at illi
Pirithous (VOVEO TIRO) paratus ero.
Nulla dies inter nos tali fulgeat ortu,
Nec sic aduerso nox fluat vlla Ioue,
Vt nos in turbas demus, nocuosque tumultus:
Sit procùl, ô, quicquid praua libido iubet.
Nomine communi per quas nunc Tangimus, Aras
Iuro: (sic faciles Numine adeste Dei)
Seu Sors dura premat, seu molliter omnia cedant,
In fido Fidus pectore Frater erit.
Et Dextrâ, certum est, & HONOREM corde TVERI:
Hoc DIDICI, quondam Sors ita si qua feret.
Inuisum quisquis Reparatum reddere Amorem
Cogitat, in Furias incidat ille suas.

IOHANNES BELZECIVS.

Per Anagramma Sextuplex.

HEVS NOBILIS, NE CESSA.
ZELVS BONI, NAE HIC SIS.
NAE BIS ZELO VINCES.
ZELO VINCIS: AN HEBES?
ACIE NOBILIS SENSVS.
NOBILIS, ACVIS ENSES.

Dehortatio ab Aulæ Insolentia.

 Ad eum

Ad Eundem,
Et grauissimo Hortatu Opt. Patris Ad veram Virtutem seriò Excitatum, Et hac Præmonitione,
Scias Qui Sis,
Cuiusdam apud Exteros Religiosi, ne Spem ex Indole captam falleret, non segniter anhelantem

Nobilis Hevs, quicũq; fuit, qui Scire, Quis Esses,
Iusserat, in vultu legerat ille tuo
Ingenuum Genium, Iuuenili in fronte Senilis
Incrementum Animi, Pectora Digna Domo.
Credibile Indicium Morum aspexisse, notasse
Maturâ, vt tenerum, iam Grauitate Regi.
Cætera quid memorẽ? Ne Cessa adhibere Parẽ
Digna ô verba Sopho Moribus, eia, tuis. (tis
Sperne Aulã (veteris quid laudis cernis in Aula?)
Stultus, ab his Tenebris qui sibi Lumen auet.
Quicquid aget petulans, cursũ in contraria flecte:
Improba, tempus erit, quo sua facta luet.
At tu Virtute hac, Animum quâ subtrahis Aulæ,
Egregij & Generis Laude tuere Decus.

Ad Zelum Boni,
De Eiusdem Pectore,
Quà interno cultu Elegantissimo, quà suorum Maiorum AEmulo.

Zelus

Zelvs, Nae hic sis iurè boni: sunt Pectore ab isto
Obscuri mores barbariesque procul.

Eidem, magno Improbitatis Ruditatisque Osori.

Belzeci, Heroum soboles Generosa Parentum:
Nae tu bis zelo vinces. Nam limine in ipso
Ætatis, præbes signa haud obscura futuræ
Virtutis. Primum hoc Claræ Indolis esto Trophæũ.
Alterum adest pugnæ genus, altera causa Triũphi;
Barbariem superas Iuuenis, dum Pallade dextrâ
(Quàm rarum Exemplum, sêclo in peiora ruente!)
Ocia amas, Aulæ populoque ignota profano;
Ocia nec Letho, nec amaræ obnoxia curæ.
Vincis zelo igitur. Tu An hebes certamine Luctæ
O cuiquam dicendus eris? censore vel ipsâ
Inuidiâ. Nec enim manifesta negauerit illa.

Eidem, Ingenii Laude Egregio, & in Armorum amorem Crescenti.

Siue opus est sensvs acie, tu nobilis illâ es:
Siue opus est ferri, Crescit & ista simul.
Tu Patriis Ausis Acvis, styrps Nobilis, ensis;
Artibus Ingenium. Quantum ô vtrinq; Decus!

FINIS.